

mereretur movendo cœlum, non plus mereretur movendo quam volendo, quia ipse non plus agit; ergo similiter non plus meretur homo movendo membra externa quam volendo, quia, licet fortasse movendo proprii corporis membra, plus aliquid efficiat, illud non est moraliter, sed ad summum physice, ac necessaria consecutione, quod ad meritum non sufficit. Aliter etiam potest idem declarari, nam, quando homo non agit exterius, sed patitur, meretur tamen voluntarie acceptando passionem, tunc nemo dicit passionem addere speciale meritum voluntati, cum non sit ab illa, sed omnino ab alio, imo etiam pro illo tempore supponatur prius facta quam acceptata, et, ut sic, non potuerit esse meritoria, sed tantum ut acceptata, quod habet solum per denominationem a voluntate, ac proinde non potest esse majoris meriti, quam sit ipsius voluntatis; ergo etiam in actibus externis imperatis a voluntate non est majus, seu novum et partiale meritum, quia, licet ibi interveniat aliqua activitas inter unum et alium actum, illa, prout est aliquid distinctum ab interna determinatione libera voluntatis, est tantum naturalis quædam physica emanatio, aut sympathia, quæ non magis potest ad novum meritum conducere quam mera passio. Unde tandem confirmatur contra Scotum, quia, licet actus internus et externus physice duo sint, tamen, quatenus unus est ab alio, et secundus necessario sequitur, posito primo, sic unam habent imputabilitatem; ergo et unam rationem meriti, ac proinde non erit majus meritum in utroque simul quam in primo. Consequentia clara est, quia meritum non est in actu secundum se, sed ut imputari potest homini ratione libertatis, ut jam ostensum est. Antecedens vero probatur, quia in utroque actu unus est usus libertatis, et unica determinatio voluntatis ad volendum, ex qua jam non liberare, sed necessitate naturali sequitur externus actus.

16. *Instantia contra superiorem discursum.* — *Dissolvitur primo.* — Sed instabit aliquis, nam ex discursu facto sequitur, etiam in duobus habentibus potestatem faciendi, tantum esse meritum in volente et non faciente, quantum in perficiente; quod est manifeste falsum, et contra dicta. Sequela probatur, quia in utroque actus externus est objectum voluntatis; ergo in hac parte æquale habent meritum, et aliunde ex actu externo non crescit meritum operantis; ergo semper

manent æqualis meriti. Respondetur negando primam consequentiam, quia, ut meritum actus interni sit æquale, non satis est quod objectum sit æquale, sed oportet ut modus attingendi æqualis sit, quod in prædicto casu non invenitur, sicut ab effectu evidenter probatur, ut in principio explicuimus.

17. *Replica.* — At enim statim replica occurrit, quia sequitur etiam in duobus, quorum alter sit potens, alter impotens ad exequendam voluntatem, fieri non posse ut æquale sit meritum voluntatis in operante, et non operante, quod assertioni repugnat. Sequela vero patet, quia nunquam actus interior voluntatis esse potest in utroque æqualis quoad modum attingendi actum externum per modum objecti; nam ille qui potens est, vult actum externum per efficacem actum, quem per hoc verbum *volo* explicamus; alter vero impotens non potest habere tam perfectum actum, sed quem velleitatem appellant, quia per hoc verbum explicatur, *vellem*, inter quos actus prior est multo perfectior. Imo, inter duos qui habent potestatem agendi, si unus operatur, et non alius, licet uterque habeat aliquam voluntatem, inde colligimus esse inæquales, quia in uno est *volo*, et in altero est *vellem*; sed eadem differentia invenitur, licet alter sit impotens ad operandum; ergo semper voluntas ejus est minus perfecta, ac proinde minoris meriti. Quod aliter etiam explicatur: nam ille, qui est potens, habet internum actum voluntatis, qui dicitur usus activus, quo efficaciter applicat externas facultates ad operandum; hunc autem actum habere non potest, qui est impotens; ergo non potest habere tam perfectam voluntatem, ac proinde nec æquale meritum.

18. *Quid imprimis dicendum ad replicam.* — *Deinde respondetur ipsi difficultati replicæ.* — *A posteriori tandem probatur assertio.* — Respondetur imprimis, licet per impossibile hoc ita esset, nihilominus semper illud esse verum, quod in operante totum meritum est in voluntate, et quoties excedit non operantem (ut profecto frequentissime contingit), id non esse propter externum actum, sed propter aliquam majorem perfectionem interioris actus voluntatis. Deinde ad punctum difficultatis, respondeo affectum operandi posse esse æqualem vel majorem in eo qui est impotens ad exequendam voluntatem, ac in exequente. Et ratio est, quia, quando defectus efficaciam voluntatis est ex

sola impotentia actus, non obstat quominus affectus voluntatis et determinatio ejus sit æqualis volitioni efficaci alterius. Quia revera voluntas, quantum est ex se, toto affectu, atque ita efficaciter ex parte sua appetit externum actum, solumque illum non efficit, quia non potest, quod non minuit ejus affectum, et ideo nec meritum. Quod optime explicari potest exemplo actus pœnitentiæ, qui efficax est quoad avertendam voluntatem a peccato commisso, quamvis, propter impossibilitatem faciendi ut non fuerit factum quod præteritum esse supponitur, semper actus ille ex parte objecti aliquam conditionem includat, ut in 4 tom. tertiæ partis, disp. 3, sect. 3, explicavi. Ita ergo in præsentī voluntas, verbi gratia, dandi eleemosynam, cum non possum, ex parte voluntatis efficax et omnino determinata esse potest, etiamsi propter impotentiam conditionem in objecto includat. Unde ad argumentum respondetur, isto modo posse esse æqualem voluntatem non operantis, voluntati operantis, quia, licet sint inæquales in efficiendo, non tamen in afficiendo, et hoc satis est ad æqualitatem meriti ex parte actus, nam actu efficere vel non efficere actum ad extra non addit actui interiori perfectionem. Præsertim quod in eo qui non facit, carentia non provenit ex voluntate, sed ex impotentia. Et in hoc cernitur magnum discrimen inter eum qui non operatur, cum possit, et eum qui non operatur, quia non potest; nam in illo defectus actionis provenit a voluntate, in hoc vero minime, sed ab impotentia. Unde, licet utriusque actus explicetur per *vellem*, nihilominus est longe diversus in perfectione et affectu, potestque diversitas explicari ex conditione inclusa in objecto; nam in illo, qui est potens, conditio inclusa non est, Si possem, cum illa in re subsistere supponatur, sed est, Si non esset arduum, vel insuave, vel aliquid simile; conditio vero alterius pura est, Si possem, et ideo in priori talis est conditio, ut suspendat effectum, etiam data potestate, et posito tali affectu; in altero vero potestate carente, talis est affectus, ut si conditio illa, Si possem, subsisteret, revera haberet effectum. Quamvis enim homines fortasse lateat, quando affectus ille attingat hunc gradum perfectionis ac determinationis, non est tamen dubium quin esse possit, et Deo manifestus sit; ergo dignus est ut ab eo acceptetur ad æquale meritum, non minus quam si externum actum perficeret. Tandem a pos-

teriori seu ab inconvenienti solet assertio confirmari, quia alias sequitur posse unum hominem ab alio cogi, seu per vim impediri ne æqualiter mereatur; hoc autem est valde absurdum; ergo, etc. Sequela patet, nam posset quis ligare, verbi gratia, manus divitis, ne posset eleemosynam exterius dare; ergo posset impedire aliquid meritum ejus, etiamsi eandem vel æqualem haberet voluntatem. Hoc autem consequens absurdum esse ostendit D. Thomas, d. art. 4, quia, sicut involuntaria operatio nec præmium nec pœnam meretur, ita neque involuntaria carentia operationis potest hominis bonam voluntatem habentis meritum minuere. Quod certe in peccatis nemo negare potest; nam, si quis solum invite detentus Missæ assistat, perseverans interiorius in voluntate non audiendi, nihil meretur, et præterea peccat; ergo pari ratione qui per vim cogitur non facere eleemosynam, si in voluntate æquali perseverat, nihil de merito suo amittit. Ideoque merito sancta Lucia, tyranno minanti: *Jubebo te ad lupanar duci*, sapienter respondit: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*, quia, nimirum, nec meritum castitatis minuetur, nec amittetur aureola virginitatis, et utrique addetur meritum et corona martyrii.

19. *Ad primam rationem opinionis contrariæ in num. 5.* — Ad rationem contrariæ sententiæ, respondetur exteriorem actum ex se tantum habere bonitatem objectivam, quæ naturalis est, non moralis. Et illam æqualiter amplectitur voluntas, quæ propter impotentiam non operatur. Non habet autem exterior actus, quamdiu exercetur, aliam moralem bonitatem præter eam, quæ est in interno actu voluntatis a quo imperatur. Idem dicendum est de difficultate externi actus; illa enim in tantum confert ad meritum, in quantum voluntate vincitur, ita ut non impediatur affectum voluntatis de se efficacem. At vero difficultas eadem, in effectu superata per exteriorem actum, non auget meritum interioris voluntatis, per se loquendo, id est, nisi forte experimentum ipsius difficultatis sit occasio, ut interior voluntas augeatur; tunc enim jam non erunt cætera paria ex parte interioris actus, et ideo mirum non est quod illius meritum augeatur. Denique idem dicendum est de libertate, quia non est duplex in actu interno et externo, sed una tantum, ut ostensum est. Nec refert quod interior actus sit immediate

liber, exterior autem mediate, quia non est intelligendum actum exteriorem fieri liberum per novum usum libertatis, sed per denominationem mediatam ab illo unico usu libertatis, quo fit actus interior, ad quam denominationem, sufficit quod actus exterior naturaliter et necessario manet ab interiori. Imo ideo illa denominatio mediata est, quia proxima emanatio actus exterioris ab interiori non est libera; nam si illa esset libera, ab illa exterior actus proxime et immediate liber denominaretur; nunc autem quia illa emanatio libera non est, ideo actus exterior solum denominatur liber ab eadem libertate, qua interior actus liber est, et ideo tantum est ibi una libertas; quod ita etiam potest declarari, quia libertas actus consistit in potestate continendi illum; voluntas autem immediate potest continere actum suum interiorem; at vero exteriorem in tantum suspendere potest, in quantum potest non velle exteriora membra movere; est ergo eadem utriusque actus libertas, quæ revera non augetur ex perfectione actus exterioris, sed quasi extensive augetur ejus denominatio, ut sic dicam, quod nihil refert ad meritum, ut explicavi. Et ideo propter nullam illarum trium conditionum actus exterior per se auget interioris meritum.

20. *Ad secundam rationem.*—Ad secundum respondetur, cum dicitur majorem gratiam esse necessariam ad volendum et perficiendum opus, quam ad volendum tantum, id dicitur ratione perseverantiæ in proposito voluntatis, quod moraliter semper antecedit executionem, et sæpissime contingit ut prius homo voluntate proponat, et postea, oblata occasione operandi, deficiat. In hoc ergo sensu dicit Augustinus majorem gratiam seu aliam esse necessariam ad perficiendum opus, quam ad volendum tantum. Tunc autem non tantum additur externum opus voluntati, sed additur nova voluntas, vel nova perseverantia in priori voluntate. Et ita tunc optime poterit augeri meritum, quia jam non sunt cætera paria ex parte voluntatis. At vero si comparetur actus interior voluntatis ad solum exteriorem actum, qui ab eo immediate procedit pro eodem instanti, vel eadem temporis duratione, sic non est necessaria major gratia ad actum externum quam ad internum, sed una et eadem ad utrumque simul datur, quia et uterque componunt unum actum morale, et, interiori posito, naturaliter ab eo manat exterior.

21. *Ad tertiam rationem.*—Ad tertium re-

spondetur, ex parte hominis, vel (ut ita loquamur) ex opere operantis, tantum meritum esse posse in martyrio in voto, sicut in martyrio in re, ut omnia adducta probant. Dicunt vero aliqui hoc esse intelligendum quoad præmium essenziale, nam quoad accidentale aliquid illi accrescet ratione actus exterioris, nempe aureolam seu gaudium quod Martyr de sua passione habebit, quod alius, qui re ipsa passus non est, habere non poterit, quantumcumque voluntatem patiendi habuerit. Quod si hoc verum est, non tantum in Martyribus, Doctoribus et Virginibus locum habebit, sed etiam in facientibus eleemosynam, vel quæcumque alia opera externa. Atque ita concedunt Richardus, Capreolus et Cajetanus, dicentes semper opus bonum externum addere aliquod meritum quoad præmium accidentale, quod præmium solum in illo gaudio constituunt. At vero si rationes supra factæ efficaces sunt, de omni merito proprio cujuscumque præmii procedunt, quia etiam meritum accidentalis præmii requirit suam libertatem. Neque illud gaudium est proprium præmium, sed est effectus necessario consequens ex tali objecto et statu, sicut etiam amicus gaudebit de bonis operibus amici. De martyribus autem aliquid amplius dicendum est, idemque suo modo de Virginibus et Doctoribus, nimirum ex peculiari privilegio et ordinatione divina, aliqua dona vel præmia esse promissa ex liberalitate divina actui externo martyrii, quasi ex opere operato, quæ non dantur propter solam voluntatem martyrii, etiamsi magnam et magis meritoriam esse contingat. Et hoc est quod Theologi docent, et in eodem sensu locutus est Bernardus, cujus veram mentem ex eadem epistola satis ostendimus. Et ideo non fit recte argumentum ad alia opera; tum quia revera, etiam in martyrio, hoc non est meritum majus operantis; tum etiam quia ex speciali privilegio non licet generalem legem inferre. Et simile de baptismo aquæ vel de communionem Eucharistiæ; nam si præcise spectetur meritum operantis, tantum esse potest in baptismo in voto, sicut in baptismo in re, et in sumptione Eucharistiæ mere spirituali, ac in sacramentali digne facta, et nihilominus cæteris paribus, plus gratiæ et gloriæ confertur recipienti exterius sacramentum quam non recipienti; quia vero illud est speciale privilegium sacramenti, et opus operatum, nihil inde contra doctrinam datam inferri potest; idem ergo est de martyrio.

22. *Ad quartam rationem.*—Quartum argumentum aliquibus visum est difficile, sed revera non est; negandæ enim sunt omnes sequelæ, quæ in illo fiunt. Et ratio est, quia in illis omnibus exemplis voluntas interior non est commensurata objecto, neque in re est tam efficax, etiam de se, quanta fuisset, si conditio, sub qua fertur, potuisset expleri, aut esset expleta, quod facile explicatur in singulis exemplis; nam, in primo, desiderium amandi infinite Deum habet pro objecto infinitum amorem Dei, et ideo, quantumcumque conatu in præsentem fiat, nunquam potest esse adæquatus tali objecto, neque habere illam vim quam ille amor haberet ad amandum Deum, si in re ponèretur, sed infinite distat ab illo, et ideo tale desiderium nec æquale nec infinitum meritum habere potest. Idem est in secundo exemplo, in quo etiam sumitur objectum infinitum, cui præsens desiderium non potest adæquari, nec etiam actui, vel actibus quos aliquis exerceat, si de facto infinitas divitias haberet, et illas effunderet. Denique in his duobus exemplis interior affectus est de re simpliciter impossibili, qui necessario est minus efficax quam voluntas de actu externo simpliciter possibili, cui potest esse commensurata, etiamsi ex accidenti desit potestas illam exequendi. In tertio vero exemplo, licet merita Apostolorum, aut Beatissimæ Virginis, quæ sunt objecta illius affectus, non sint quid infinitum simpliciter, includunt nihilominus plurimos et perfectissimos actus internos voluntatis, quibus impossibile est illum affectum in efficacia bene operandi aut volendi adæquari. Unde non comparatur ille affectus ad illa merita, sicut actus internus ad externum, qui de se adæquari possit, sed comparatur sicut actus ad objectum ita eminens et quasi immensum, ut illi adæquari non possit.

23. *Ad quintam rationem.*—Ad quintum, negatur antecedens, jam enim ostensum est voluntatem pravam, quæ propter impotentiam non impletur, æque demeritoriam esse apud Deum, ac si exterius expleretur. Hoc autem non obstante, merito dixit Augustinus, ad infelicitatem quamdam, et ad cumulum miseriæ pertinere, posse pravam voluntatem implere, non quia actus externus præcise spectatus, ac cæteris paribus, augeat offensionem Dei aut pœnæ reatum, sed quia est occasio vel ardentius peccandi, vel majoris moræ in ipsa actuali commissione peccati,

vel etiam augendi et multiplicandi peccata, ut experientia satis docet. Quod quidem etiam contingere potest in bonis, sed in illis rarius est, quia sæpe ex abundantia externarum rerum vel potestatis sumunt homines occasionem male potius quam bene operandi, etiamsi eisdem facultatibus possint bonas et pias exequi voluntates. Et ideo non ita dixit Augustinus esse feliciorum, qui potest bonam voluntatem implere, sicut dixit esse miseriores, qui malam voluntatem exequi potest. Addere item possumus, præter id quod ad Deum spectat, in ordine ad homines et ad præsentem vitam humanam, miseriam peculiarem esse, posse malam voluntatem implere, quia ex usu illius oritur sæpe proximorum scandalum, et propria infamia, et per eandem fit peccator apud homines dignior pœna; nam homines vident ea quæ parent, Deus autem intuetur cor, et ideo homines judicant de iis quæ exterius fiunt, non per se de internis affectibus. Et propter hoc etiam ex legibus humanis, sive Ecclesiasticis, sive civilibus, non recte sumitur argumentum, quia non dubitamus quin opera externa augeant meritum apud homines, qui non tam bonitatem quam utilitatem vel commoditatem humanam remunerant; hanc autem accipiunt ex operibus externis et laboribus, non ex puris affectibus internis. Quod si interdum in remunerando opere, illius virtutem, ut fortitudinis, prudentiæ, aut alterius similis excellentiam respiciunt, solum ex externis actibus de illo iudicium ferunt, quæ omnia in merito apud Deum longe diversa sunt, et ideo non recte Durandus a merito humano ad divinum argumentum sumpsit.

CAPUT VII.

UTRUM ACTUS MERITORIUS DEBEAT ESSE SUPERNATURALIS, ET EX ALIQUA ACTUALI GRATIA PROFECTUS?

1. *Prima opinio negativa.*—Primum ejus argumentum.—Secundum.—Tertium.—Soto, lib. 3 de Natur. et grat., c. 4; Medina, 1. 2, quæst. 18, art. 9, dub. penult., et quæst. 114, art. 4.—Multi ex Theologis, qui putant omnem actum moraliter bonum, et virtutis acquisitæ, esse meritorium gratiæ et gloriæ apud Deum, consequenter dixerunt necessarium non esse ut actus meritorius sit supernaturalis, neque ut procedat ex proprio auxilio gratiæ actualis. Fundamentum hujus